

æquè pars scripturæ , atque alia loca. At
 verò si allegoriarum & paraboliarum cir-
 cumstantiæ spectentur, vel allegoricæ in-
 terpretationes ex ingenio humano in me-
 dium adferantur , utiliter adhibetur illud
 Scholasticorum , *Theologia allegorica, seu
 parabolica, non est argumentativa.*

CAPUT IV.

De Deo.

I. **E**X libro natura non oportet concludere
 contra librum scriptura. Uterque enim
 docet Deum esse, & esse summum bonum.
 Idem iudicium est de lumine naturæ &
 gratiæ. *Psal. 19.*

II. Negato modo & gradu cognitionis Dei
 non negatur res ipsa Ita non est consequens.
 Ethnici non cognoverunt Deum uti se pa-
 refecit in verbo Ergo Deum planè nõ co-
 gnoverunt. Contrarium docet apostolus
Rom. 1.

III. Ex ignorantia affectatâ, quæ dicitur
 prava dispositionis malè concluditur ignoran-
 tia simplex, quæ dicitur pura negationis. De
 priori agit *Psal 14* Non igitur valet: Ho-
 mines athei & Cyclopico furore abrepti
 negant Deum esse. Ergo notitia Dei non
 est insita mentibus nostris.

IV. Ex diversitate nominũ non rectè cõclu-
 ditur